

Q. F. F. Q. S.  
T H E S E S  
E X

~~27~~  
22.

SINGVLIS IURIS-  
PRVDENTIAE PARTIBVS  
DEPROMPTÆ,

Q V A S

*Adspirante Divinâ Gratiâ,*

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi  
atq; Excellentissimi*

DN. JOHANNIS HENRICI  
FELTZII,

J. U. Doct. Pand. & Juris Can. Prof. P. O. Celeberrimi,  
Capituli Thoman. Canonici,

*Patroni, & Præceptoris sui plurimum observandi,*

In Universitate Patriâ Argentoratensi

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI

submittit

JOHANNES MICHAEL ZENTGRAVIUS, Arg.

*Ad diem 14<sup>April</sup> Martii M. DCCVI.*

*Horis locq; solitis.*

ARGENTORATI,

primebat ADOLPHUS GIESEN, Cancell. Typogr.

miss. jur. civ.

558, 18


409

2



DEO,  
PATRIÆ,  
ET  
AMICIS.





Q. D. B. V.

Ex

*Jure Natura & Gentium.*

I.



Non obstante, quod Lege N. prohibita sint, ut Grotius affirmat, intrinsicè mala, rectè dicitur Voluntas Divina Juris Naturalis principium.

2.

Socialitas cum rationalitate conjuncta etsi possit J. N. fundamentum dici, directè tamen omnia officia J. N. ex illâ deduci nequeunt, nisi late eam capias, ut & societas cum DEO comprehendatur, ubi officia erga alios inde omnia deduci possunt.

3.

Carnibus hominum à nobis non cæsorum vesci in summâ fame, & deficientibus aliis nutrimentis non est contra J. N.

4.

In Statu Naturali licitum est alterum interficere, qui non vitam eripere, sed membro duntaxat aliquo mutilare intendit, quando vis ejus aliter repelli nequit.

A 2

Divi-



5.  
Divisio humani generis in distinctos coetus & civitates J. N. præcipitur, & Jure Gent. dirigitur.

6.  
Divisio rerum est J. N. præceptivi; inde tamen orta proprietas limitatur secundum regulas socialitatis.

7.  
Hoc observato, sequitur communionem primævam Moralistarum atque Grotii esse Ens rationis Morale.

8.  
Bellum non omnia Juris commercia tollit.

9.  
Vindicta ob violatum J. Gentium concessa non est bellum pœnale, nec nisi per abusionem vocis ita vocatur, Grotio licet familiaris hæc formula sit, qui meritò hoc nomine notatur à Zieglero.

10.  
Gens non læsa gentem aliam ob malos mores & injurias, quibus alios lædit, punire non potest; contra tamen injustè lædentem gentem læsam defendere potest.

11.  
Paritas Gentium non perit inæqualitate potentia, nec prærogativa dignitatis, nec tributii solutione, nec delicto.

12.  
Transitus postulanti genti regulariter non potest denegari, si caveatur, eum fore innoxium.

13.  
Repressaliæ Juri N. non contrariantur.

Plurimum



14.

Plurium Gentium J. Civile non est proprie J. G. sive quod pro fundamento habet Gentium consociationem.

*Ex Jure Divino Revelato.*

1.

**P**Ræcepta Decalogi sunt quoad substantialia præcepta J. Nat. adeoque,

2.

Divina circa eadem hæctenus non datur dispensatio.

3.

Lex Moralis Divina differt à Jure Divino Naturali.

4.

Dantur peccata, quæ non uni tantum præcepto Decalogi, sed pluribus præceptis simul repugnant.

5.

Ex Judicialibus præceptis Reipubl. Ebræorum assumi possunt liberè ea, quæ nostris Politiis conveniunt, sine tamen Divina obligatione, nec ideo, quia fuerunt aliquando divinitus Hebræis præcepta.

6.

Fas est ad mortem damnare etiam ob alia delicta, quam quæ à Lege per Mosen datâ morte puniuntur, nec necessariò supplicio capitali punienda delicta, quibus Lege Ebræorum forensi hæc pœna dicta fuit.

A 3

Non



7.  
Non repugnat religioni Christianæ inuasorem  
vitæ injustum occidere.

*Ex Jure Civili.*

I.

**I**ure Romano ex nudo pacto non dabatur actio, sed  
hodie ex omni conventionem seria actio oritur.

2.

Mutus potest pacisci, testis esse, & fidejubere,  
quod tamen in eo, qui natura simul mutus ac surdus  
est, secus.

3.

Filius remittendo injuriam sibi illatam non præ-  
judicat patri, sed si pater remittat, id præjudicat filio,  
nisi pater persona sit vilis & abjecta.

4.

Principalis potest transigere fidejussore condem-  
nato. Sed si unus fidejussor de suâ ratâ transigat, id  
alteri fidejussori, neque nocet, neque prodeh.

5.

Advocatus pauperi datus non excusatur ob id, si  
dicat sibi causam injustam videri.

6.

Advocatus potest contra Magistratum aut Domi-  
num feudi patrocinari.

7.

In crimine non capitali ante Lit. C, transigens fit  
infamis, nisi jussu Prætoris transigat.

Qui



8.

Qui filiam suam alii elocat, genero mortuo, quem tamen mortuum esse nesciebat, non fit infamis.

9.

Non est justa renunciandi mandati procuratorii causa non accepti salarii.

10.

Advocatus temere lites protrahens ad expensas condemnari potest, si principalis est insons.

11.

Pubes cujus adhuc impuberis negotia gesta, non tenetur ultra, quam quatenus locupletior factus est.

12.

Beneficium Restitutionis in Int. cedi potest.

13.

In foro Conscientiæ tutus est, qui rem verè alteri debitam, vi tamen ablatam, restitui sibi petit,

14.

Si tertius causam, dat dolo contractui, contractus non est irritus.

15.

In pœnis ordinariis, ut homicidii, adulterii, furti, non debet haberi respectus minorennitatis.

16.

Pater in causa Filii non simpliciter prohibetur iudex esse.

17.

M. F. possessor, qui fructus corruptioni obnoxiosos vendidit, non ad totius rei veram & solidam æstimationem, sed ad pretium tantum acceptum est condemnandus.

Ufus



18.

Usufructuarius non tenetur Domino potius, quàm extraneo vendere jus suum.

19.

Sub spe impunitatis licet quandoque judici elicere confessionem.

20.

Qui propria auctoritate cadaver in agro suo sepultum ejicit, tenetur de injuria.

21.

Malè statuit Ulpianus *l. idem si ob stuprum 4. §. 3. ff. de Condict. ob turp. &c.* meretricem non turpiter accipere mercedem. Hinc multo minus apud judicem promissam mercedem petere valet.

22.

Contra furis heredem datur condictio furtiva in solidum, licet nihil ad ipsum pervenerit.

23.

Commodatarius in culpa est, si post habitam re commodatam, suas res ex incendio liberet, nisi propriae sint pretiosiores, commodatae viliores.

24.

Qui aliter re commodatam utitur, ac conventum, furti actione tenetur, nisi probabiliter credat, id non fieri invito Domino.

25.

Commodator non potest compelli, ut rem commodatam recipiat, etsi commodatarius pretium deteriorationis solvere sit paratus, si scilicet rem deterioratam habere Domino non expediat, sed commodatarius tenetur integram rei aestimationem solvere.

Non



26.

Non est locus SCto Macedon. si pater ab initio consensit, ut filio daretur mutuum, sed postea revocavit.

27.

Mandatarius percutere iussus si occidat, mandator non punitur ordinaria pœna, sed si quæstio proponatur de vulnerationis mandato, affirmanda est.

28.

Emptione perfecta periculum rei ad emptorem pertinet, etiam, si venditor rei traditæ dominium sibi reservaverit.

29.

Famuli morbo impediti integram mercedem petere non possunt.

30.

Conductor operæ, si causa penes se est, quo minus opera præstetur, tenetur integram mercedem solvere.

31.

Bona, quæ mulier sine dotis promissione dat marito, non censentur dotalia.

32.

In fundo dotali si marmora reperiantur, etiam in dote sunt.

33.

Abstentio filii ab hereditate paterna, vel repudiatio emancipati non reddit filium indignum legato.

34.

In unâ provinciâ frumenti determinatum pretium constitui & potest, & utile est.

B

Qui-



35.

Quilibet in suo quid facere potest, etiam in damnum alterius, modo absit animus nocendi.

36.

Filiusf. etiamsi liberam bonorum administrationem habeat, donare non potest.

37.

Surripienti rem sacram ex loco privato poenam furti irrogare sufficit.

38.

Reus post tertiam torturam iterum negans est absolvendus, nisi penè sit convictus, & in tertia revocatione mendacia deprehendantur.

39.

Mulier prægnans torqueri non debet, potest tamen intra 40. dies post partum, si periculum sit in mora.

### *Ex Jure Ecclesiastico.*

1.

**A**bsolvere possunt à peccatis Laici in casu necessitatis.

2.

Ad accusationem simoniæ servi etiam adversus Dominos, & quilibet criminosi admittuntur.

3.

Accusari in foro contentioso propter idem delictum potest, qui absolutus est in foro poenitentiali sive conscientiae.

Adul-



4.

Adulterio ipsum matrimonii vinculum rumpitur; sed si post adulterium compertum pars innocens adulteranti carnaliter se commiscuerit, redintegratur vinculum matrimonii.

5.

Purgatio sive proba per aquam frigidam, ferrum candens vel singulare certamen merito est improbanda.

6.

Baptizati ab hæreticis, schismaticis, aut facinorosis rebaptizari non debent.

7.

Quamvis *ιερολογία* sive benedictio sacerdotalis non sit de substantiâ matrimonii, non injustè tamen eâ omisâ matrimonium judicatur illegitimum, & liberi inde procreati illegitimi.

8.

Castigandi potestatem patri competentem, quæ vinculis naturalibus maximam partem subnixa est, per ordinem Clericalem solvi nulla ratio persuadet.

9.

Clerici Divinâ Lege Magistratibus sunt subjecti, ideo constitutionibus Civilibus debent tum reverentiam tum obedientiam.

10.

Judæus cum aliis Christianis potest ad quascunque decimas etiam Ecclesiæ præstandas adigi, non obstante quod ejus membrum esse nolit.

11.

Hæresis non est causa sufficiens dissolvendi sponsalia contracta.

B 2

Cogni-



12.

Cognitionem de habitu Clericali tribuimus judici seculari quoad Protestantes, cum externa cultus respiciat.

13.

Judicium Ecclesiasticum Principis autoritate non minus, atque judicia secularia, constituitur.

*Ex Jure Publico.*

1.

**A**Tatis veniam impetrans aliquando & tutelam administrare valet.

2.

Ablegati *Envoyés* communiter dicti differunt ab *Ambassadoribus* non Juris potestate, sed tantum specie dignitatis.

3.

Non Camera Imperii, ut quidam asserunt, sed ipsi Judices austregæ sententias suas, non interpositâ appellatione, executioni mandant.

4.

Cæsare moriente Conventus Deputatorum non expirat.

5.

Imperator tenetur ratione temporis & loci habendorum comitiorum Electorum voluntatem requirere, nec tantum in primâ indictione, sed illorum etiam translatione.

6.

Res in Camera judicatæ non habent vim Legis Universalis, sed præjudicii in eodem plane casu valituri.

Delin-



7.

Delinquentem in alterius territorio capiens violati territorii reus fit, nisi è vestigio post perpetratum in suis finibus delictum in vicini territorium fugientem insecutus fuerit.

8.

Ex necessitate migrans censum emigrationis solvere non tenetur, nisi necessitas illa ex proprio facto proveniat.

9.

Comes Palatinus etiam proprios spurios potest legitimare.

10.

Principi Christiano cum Turcâ vel alio infideli foedus inire & auxilium ab eo contra Christianum petere per se non est illicitum.

11.

Non tenetur Legatus fidem impediendi, quo Dominus detinetur, juramento in animam ejus præstando facere.

12.

Electo ad dignitatem Imperatoriam quorundam Collegarum votis electus suo ipsius suffragio numerum suffragantium augere potest.

*Ex Jure Feudali.*

I.

**A**bbas beneficium habens à Rege datum, non solummodo personæ, sed Ecclesiæ ipsum propter culpam suam perdit, eo vivente ad Regem illud pertinet, post mortem vero ejus ad successorem revertetur.

B 3

Accre-



2.

Accrescendi jus in feudo novo locum non habet inter fratres.

3.

Non accrescit feudo prædium adjectum feudo à Vasallo.

4.

Actore non probante in iudicio feudali reus non statim absolvitur, sed plerumque rei jurejurando interveniente causa dirimitur.

5.

Adjuvare Dominum contra omnes Vasallus debet, & contra fratrem, & contra filium & patrem excepto Domino antiquiore.

6.

Creditorum Domini Vasallo præferuntur utilitates sibi debitas ex Camera vel Cavena ipsius Domini exigenti.

7.

Qui Curiam vendidit, non intelligitur beneficium vendidisse, nisi de eo expressè actum sit.

8.

Ex delicto Vasalli feudum ad Dominum non redit, nisi in ipsum Dominum deliquerit.

9.

Dominus amittit feudum omni feloniâ, quâ Vasallus feudo privatur contra quemcunque Vasallum commissa, vel alium Vasallo conjunctum.

10.

Filii nati ex matrimonio ad Morganat. contracto non succedunt in feudo etiam aliis non existentibus,

Soli



II.

Soli filii posterioris matrimonii matri in feudo succedunt, si feudum ex secundo matrimonio acquisierit.

12.

Subfeudare potest Vasallus etiam sine permissione Domini.

### *Ex Jure Gallicano.*

I.

**I**Nsignis divisio personarum est, qua dividuntur illæ in Gallia in Regnicolas & Albinos sive peregrinos. Hi enim officium aut beneficium in regno possidere non possunt, uti illi,

2.

Possunt tamen bona acquirere & de iis disponere inter vivos, non item per testamentum aut ultimam voluntatem.

3.

Liberi in regno nati iisdem succedunt; si liberos non relinquunt, succedit Rex, exclusis cognatis etiam Regnicolis.

4.

Jus hoc Albinagii ad Legatos Principum exterorum in Galliâ decedentes non extenditur.

5.

Non datur in Galliâ propriè nisi tutela dativa, cum omnis debeat confirmari à Magistratu.

6.

Officia in Galliâ dividuntur in venalia & non venalia, ad hæc plura officia militaria referuntur.

Feu-



7.

Feudum nobile in Galliâ non nobilitat, nisi Investitura conferatur à Rege ei, quem scit esse non nobilem.

8.

Insignis est differentiâ inter mutuum & constitutionem reddituum annuorum, *entre argent prêté & constitution de rentes.*

9.

Retractus gentilitius consuetudine est in Galliâ receptus ferè ubique.

10.

Concilium Tridentinum, quod ait de honestate tantùm requiri consensum Parentum in nuptiis liberorum, in hoc capite Gallia non recepit.

11.

Jure Consuetudinario Galliæ communio bonorum inter conjuges obtinet.

12.

SCtum Vellejanum in Galliâ est abrogatum.

13.

Examen testium in perpetuam rei memoriam ex prudentiæ Civilis dictamine est in Galliâ abrogatum.

14.

Contractus usurarius in Galliâ ipso jure nullus est, nec opus habet rescissione.

15.

Contractus ab uxore celebratus durante matrimonio sine auctoritate mariti quoque nullus est.

F I N I S.